

gentes, præprimis apud Ægyptios, Græcos, Romanos &c. sectam empiricam maxime viguisse, hujusque cultores sine ulla prævia morborum disquisitione, sola eorum curatione per remedia, aliis jam adhibita, contentos fuisse. Pessimum quoque nostri ævi morem, quo, *cuivis fere licitum, Medicum se fingere*, jam dum adeo invaluisse, ut PLINIVS (l) iustissimam conquerendi causam habuerit: *in hac Artium sola evenire, ut cuicumque Medicum se professo statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus &c.* Medicos experimentum per mortes facere &c. (2) Nomen Medicorum generale præcæcis temporibus jam, uti hodie adhuc *varias eorum species sub se comprehendisse*, nimirum *Clinicos*, s. Medicos ægros lecto affixos invisentes & curantes, *Ocularios, Auricularios, Dentarios, Lithotomos, Herniotomos, Embryotomos, Unguentarios, Vulnerarios* s. *Chirurgos, Balneatores*, quibus viliora & operosiora ad Medicinam spectantia officia peragebantur; de quibus inter alios legi meretur B. MEIBOM (m) CELLARIUS (n), subsequente demum tempore sectæ empiricæ, alias non solum, præsertim *Hippocratis* indefesso labore, sectam *rationalem* accessisse, eamque reliquis demum præeminuisse; sed & hodiernis nostris temporibus adhuc præeminere, utut hinc inde *empirici*, insigni plerumque ægrorum damno, hodie adhuc frequenter obveniant.

### §. VI.

Quibus præmissis audaciam vel socordiam virorum quorundam eruditione & auctoritate clarorum, in asseveranda ficta hac proscriptione, temere quoque ad prædicti PLINII & POL. VERGILII (o) testimonium provocantium, mirari

(l) Histor. nat. l. 29. c. 1, (m) in perdoct. commentar. ad Jurjurandum Hippocr. cap. 16. & ad Cassiodor. formul. Comit. Aurelii. (n) Antiquit. med. cap. 3. §. 8. & seqq. (o) de rerum invento-ribus l. 1. cap. 20.